

ita belli ab Carolo initium ea etiam ab regni parte in Venetorum socios est factum. Postremo cum Galli, Paulo & Objecto ducibus, successu rerum elati, pedibus Genuam aggrederentur, civitas armata illos fudit fugitque eo ipso die, quo rex ad flumen Tarum adverso cum Venetis prælio dimicavit. Tum pridie id. naves onerariæ longæque majori ex parte reipublicæ instructæ opibus, obfessam in portu Rapalo classem Gallicam, Rapolique arcem expugnaverunt, navibus omnibus cum eorum præfecto captis: quibus in navibus mulieres erant captivæ permultæ, virginesque sacræ aliquot suis e Cajetæ fanis abreptæ atque violatae, aurumque item sacrum & argentum, ac fores æneæ portarum affabre illæ quidem factæ, magnoque comparatæ pretio, quas arcii Neapolitanæ Galli detraxerant. Pauloque post Carretii principes, qui Finarium oppidum a Genuensibus acceptum obtinebant, Intemelium oppidum, quod ad occidentem solem est, & Galli occupaverant, recuperaverunt: omnisque utrinque ora brevi ad Genuenses rediit. atque hæc quidem in Liguribus gesta sunt. Cumque ad Ludovicum signa Caroli regis quatuor e Gallorum capta navibus Genuensis civitas dono misisset, Ludovicus, magno reipublicæ merito id se facere pronuncians, duo eorum legato apud se Veneto dedit. Eodem quoque Genuenses tempore legationem Venetas miserunt, quæ Senatui gratias ageret, quod ea quæ feliciter contra Gallos gesserant, ejus liberalitate atque ductu primo, & initium & incrementum, postremo etiam exitum habuissent.

Imperator autem Clastidii cum esset, regem subsequens, Ludovico postulante, equites militesque ad bis mille, Dertonam Alexandriamque Senatus jussu præsidio misit. Eodem etiam petente, ut respublica legatos ex principibus civitatis ad se duos mitteret, qui secum rebus omnibus tam ambiguo tempore præcessent, uti sui cives, omnesque homines cognoscerent, ei se curæ, regnumque suum esse, Lucam Zenum, Andream Venerium, legatos Senatus creavit. Ab iis legatione propter ætatem renunciata,

Mar-